



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XII. (a) Clemens. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT XII.

(a) Clemens. III.

DUO pueri, Guillelmus & Guillelma matrimonialiter sunt conjuncti, puero VI. puellâ verò VII. annum (b) agente: qui simul per tres annos manserunt. Tunc pater puellâ subtrahens eam sponso, ipsam alteri N. nomine copulavit, cum quo per VII. annos quietè permanfit. Ipse verò tunc reliquit eandem, quia credebat eam alium virum habere, illum scilicet cui prius fuerat desponsata: prior autem sponfus ad annos discretionis perveniens, à prædecessore tuo contrahendi cum alia licentiam impetravit; qui quandam nomine S. consobrinam prioris in uxorem accepit, & cum ea per aliquod tempus existens, eam (ut ipse fatetur) carnaliter non cognovit, licet illa se ab eo cognitam asseveret. Cum autem pater memoratæ Guill. eam vidisset à secundo viro relictam, prænominatum Guil. cui prius eam desponsaverat, compulsi ut S. neptem (c) suam omnino dimitteret, & ad Guill. suam desponsatam rediret, qui postmodum per biennium cohabitavit eidem. Quia igitur quid tibi faciendum sit postulas edoceri, breviter respondemus, quod impediende puerili ætate, matrimonium inter G. & G. non fuit: & licet idem, postquam illa nupsit alii, potuerit aliam ducere in uxorem, tamen quia dictam S. duxit consobrinam mulieris ejusdem, sive eam cognoverit, sive non, non debet tamen cum eadem S. propter publicæ (d) honestatis justitiam remanere; nec ad primam habere regressum, quia alteri fuit legitime copulata. *Et infra:* Cum verò vir caput sit mulieris, & G. dicat se non cognovisse prius S. supradictam, aliam si voluerit, poterit ducere in uxorem, & S. viro legitimo desponsari: post separationem verò pro vitando publico scandalo, utriusque ad tempus est poenitentia injungenda. Si verò legitime constaret, ipsam S. ab eo, sive post, sive antea cognitam extitisse, neutri vivente altero dabitur licentia contrahendi. Remanebit ergo Guillelma cum M. impositâ ipsi Mestaco ad tempus poenitentia competenti, qui pro sua opinione sola Guill. (judicio Ecclesiæ non requisiti) dimisit.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in 2. col. lect. sub hoc titul. cap. unico: nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex, licet ex serie textus constet, in eo Episcopum alloqui; speciem autem eleganter retulit Cujac. in præsent.

2. (b) *Sexim annum agens.*] Et ita nec matrimonium, nec sponsalia inter eos dari poterant, juxta tradita supra in cap. 2. cap. 4. hoc titul. ex quorum commentariis præsens petendum est.

(c) *Neptem suam.*] Ex fratre, & ita consobrinam, ut accipitur in cap. per tuas, de probat. cap. accedens, de accusat. cap. 7. de consanguin. & affin. Sic enim posteriores scriptores loquuti sunt, immò & priores, cum hac adjectione, nepotem, neprem, ve ex fratre, vel sorore. Eutropius lib. 7. Octavianum Augustum vocat Julii Cæsaris nepotem, quia filius erat Acciæ sororis Julii Cæsaris: Livius in epitom. 116. nepotem sororis Octavianura vocat: notavi in d. cap. per tuas.

(d) *Publica honestatis.*] De quo impedimento plura adduxi in cap. 3. de spons.

CAPUT XIII.

Idem (a) *Corrado & Petro quondam filiis Malebranca.*

AD dissolvendum, quod factum fuerat inter I. filium nobilis viri L. & S. filiam quondam M. super matrimonio contrahendo, in nostra, & f. n. præsentia fuit ex parte vestra propositum, quod cum dicta puella nondum ad septennium pervenisset, cum ipsa nec matrimonium contrahi, nec (b) sponsalia potuerunt: defuit etiam consanguineorum assensus, qui præcipuè sunt in talibus requirendi. Quod si & ætas sufficiens extitisset, & consanguineorum extitisset assensus, personæ tamen non sunt legitimæ ad matrimonium contrahendum, lineâ consanguinitatis obstante: accusatione verò super consanguinitate proposita, & tam ex parte juvenis, quam ex parte puellæ consanguinitatis gradibus computatis, cum eam vellet idoneis testibus comprobare, præfatus L. multas exceptiones proposuit, per quas nitebatur vos ab accusatione multipliciter remove. Cumque super exceptionibus ipsis fuisset utrimque diutius